

Virginia

I. N. J.

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> PHIL<sup>O</sup>SOPH<sup>I</sup>C<sup>A</sup>

DE

U S U  
M U S I C E S  
M O R A L I ,

QUAM,

Conf. Ampl. Facult. Phil. in Reg. ad Auram Academias

Sub Praesidio

MAG. JOHANNIS  
BILMARK,

HISTOR. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.

Publicæ bonorum censuræ submittit

JOHANNES HENR. MECHELIN,

WIBURGENSIS.

Die XIV. DECEMB. Anni MDCCCLXIII.

L. H. Q. A. M. C.

ABOÆ,

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

*Admodum Reverendo atque Praclarissimo*  
**Dn. Mag. ABRAHAMO POPPIO,**  
*Ecclesiaz, quæ Deo in Jorois congregatur, Pastori & Preposito meritissimo.*

*Plurimum Reverendo atque Praclarissimo*  
**Dn. Mag. HENRICO POPPIO,**  
*Ecclesiaz, quæ Deo in Jockas collitur, Pastori vigilantissimo.*

*Plurimum Reverendo atque Clarissimo*  
**Dn. LAURENTIO POPPIO,**  
*Concionatori Castrorum Legionis Savolaxiensis laudatissimo.*

#### AVUNCULIS CARISSIMIS.

**Q**uemadmodum ingratu nullum gravius pondus gerit telus; ita ingenuus quisque nihil magis desiderat, quam ut benefactoribus suis quavis data occasione gratum probet animum. Is ego sum, Avunculi Cariissimi, qui a Vobis plurimis ornatus sum beneficiis; gratias Vobis agere hactenus, ut volui, non potui, referre vero ne in posterum quidem mihi licebit. Ne tamen officio meo prorsus defuisse videar, in pignus observantia certissimum prima hæcce studiorum meorum germina, quantumvis immatura, Vobis, Avunculi Honoratissimi, cernuus offero. Quæ si placida excipiatis fronte, habebo, de quo in finu impense mihi gratuler, spem fovens certissimam, Vos quoque favorem Vestrum perennaturum jussutus. De tetero ut omnia ex votis Vobis succedant, ex intimo pectori voveo, permanfurus

#### AVUNCOLORUM CARISSIMORUM

cultor humillimus  
**JOH. HENR. MECHELIN,**

Commissions-Landmätaren,

Ådel. Och. Högaktud.

**Herr. ERIC. JOH. HAMMARIN.**

MIN. GUNSTIGE. SVÄGER.

**B**eständig. Ömhet. För. Min. Välfärd,  
Samt.  
Oförmodadt. Antal. Af. Stora. Välgärningar,  
Hafva. Redan. I. Mitt. Sinne,  
Gjordt. Eder.  
Min. Gunstige. Sväger.  
Berättigad.

Til. All. Högaktnig. Och. Tacksambet.

J. Ägen. Dem. Bägge,  
Uti. Högre. Grad.

Än. J. Kunnen. Afmäta,  
Och. Jag. Förmår. Beskrifa,

Til. Et. Litet. Vedermäle. Häraf,  
Upoffras. Eder. Närvarande. Snilleprof.

Frukten. Af. Edor. Godhet,

Och. Förftlingen. Af. Mina. Academiska. Arbeten,  
Gåtvans. Ringhet. Förbättras,  
Genom. Gifvarens. Välmening.  
Som,

Under. Tilönskan. Af. All. Sällhet,  
Med. Upriktigaste. Vänskap. Förblifver,

MIN. GUNSTIGE. SVÄGERS,

Ödmjuke. Tjenare,

**JOH. HENR. MECHELIN,**

Per quam Reverendo atque Doctissimo  
Dn. JOHANNI MECHELIN,  
Sacellino in jockas meritissimo,

PARENTI INDULGENTISSIMO.

Fruor equidem opportuna satis & diu expedita occasione,  
qua innumera Tua, Parens Optime, in me beneficia  
celebrare mihi liceat; verum tantus eorum est numerus, tan-  
taque præstantia, ut muneri suo rite vacare tenuis, qualis  
mea est, Minerva minime valeat. Ego certe si id præsume-  
rem, Tua in me merita jejuna dicendi ratione obscurarem ma-  
gis, quam illustrarem. Pauca tamen dicam, ne malefano silentio  
degener atque ingratus judicer filius. Tibi igitur, Mi Pa-  
ter, non solum acceptum refero, quod vivam, sed etiam  
Tuis curis atq; Tuæ institutioni debeo, quos in litteris & sci-  
entiis fecerim progressus. Tu quoque, pro ea, qua me  
tenere amplectaris, benevolentia, nullis pepercisti sumti-  
bus, ut asperam sapientiæ viam planam mihi redderes at-  
que facilem. Quod vero pro tot tantisque beneficiis re-  
pendam, cum nihil habeam, studiorum meorum primitias,  
exiguas illas quidem & immaturas, in pignus nunquam in-  
termorituræ pietatis, Tibi jam offero, quas ut benigna ex-  
cipias fronte, enixe oro atque contendeo. Mihi præterea ni-  
hil prius erit, antiquius nihil, quam Supremum Numen ca-  
lidissimis fatigare precibus, velit vergentem Tuam, Pa-  
rens Indulgentissime, senectutem benigne suffulcire, Teque  
sospitem atque incolorem quam diutissime nobis conservare!  
Ero, dum vixero

PARENTIS INDULGENTISSIMI

filius obedientissimus  
WILHELMUS JOH. HENR. MECHELIN.



Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,  
Lectorem delectando, pariterque monendo. HORATIUS.

§. I.



Hospitatur anima nostra, Princeps  
illa microcosmi, in corpore huma-  
no, tanquam in apparatissimo quo-  
dam palatio, atque ex solii fastigio  
res quasvis obvias contemplatur, nec  
non omnes, ad se venientes, ministerio  
satellitum atriensium, sensuum puta, facilis admittit,  
sive voluptatem ipsi pariant, sive, quod interdum  
contingit, tedium illi adferant. Quamvis vero sin-  
gulorum hospitum præsentia anima nostra commo-  
veatur, ceteris tamen magis ipsam adficere solent,  
qui per oculos atque aures intromittuntur. Illi for-  
ma sua atque coloribus vel placent nobis vel et-  
jam displicent; hi autem gestibus, ut ita dicam,  
partim tripudiantibus, partim vero placidis & tan-  
tum non languidis Principis hujus gratiam sibi  
con-

A

conciliare operose nituntur. Ne autem prolixiori verborum ambage lectores nostros teneamus suspensos, statim est indicandum, quod per advenas, ultimo loco nominatos, Tonos intelligamus; qui, ut observationes docent, oriuntur, quoties corpora, elatere prædicta, in libero aëre percutiuntur, ut motus particularum (*a*) corporis percussi & oscillantis certos tremores moleculis aëreis imprimat, quæ confessim inter se officiose quasi æmulantur, ut easdem mutationes per aures ad animam deferant, atque sensationes quasdam in nobis excitant, quæ nullo alio modo magis, quam continua sua varietate animæ nostræ sese commendant. Scilicet ea est mentis nostræ indoles, ut eximiā habitura delectationem, perceptiones desideret & simplices, quippe quæ nullas ipsi creant molestias, & simul diversas, siquidem quæ eodem diu modo ipsam adficiunt, fastidium tandem pariunt. Utraque ratione nos delectat gratissima Musica, disciplina illa, quæ in sonis apte excitandis & rite temperandis occupata est (*b*). Hujus vim in movendis hominum

(*a*) Oritur sonus non tam ex oscillationibus illis majoribus, quæ in corporibus sonoris facile distingui possunt, quam potius ex motu quodam tremulo particularum minimarum, ceu pridem observavit *Cel. CARRE* vid. *L' Histoire de l' Academie Roy. des Sciences pour l' année 1704.* p. m. 109. (*b*) Musicæ laxa adeo pomœria quidam veterum statuerunt, ut omnium rerum harmoniam seu rationem suo comprehendenderet ambitu. Hinc Pythagorai, qui ad rationes harmonicas omnia exigebant docuerunt, quod Musicâ

nūm animis plane insignem cum perpenderent veteres, quibus arcana sua nondum detexerat natura, in animum facile induxerunt suum, tanti molimini opus non inchoari, nedum perfici posse, nisi beneficæ quædam Divæ genus humanum præstantem adeo artem docuissent (*c*). Licet autem in hanc ire sententiam nemo sobrius queat; juvat tamen paucis ostendere, quantum ad mores formandos Musica conducat. A Te vero, C. L. enixe petitum, ut siquidem dissona quædam in opella nostra animadvertis, hos industriæ defectus pro ea, qua esse soles, humanitate mitiori perstringas censura. Nunquam enim nobis fistula fuit, septem disparibus cicutis compacta; quare in pretio semper posuimus, si agresti calamo artis hujus peritos Magistros longe imitaremur.

## §. II.

Originem vocum indagaturis tot plerumque sententiarum divortia occurunt, atque diversas adeo conjecturas ipsi animadvertunt, ut incerti non raro hærent, quænam opinio alteri sit præferenda. Idem etiam nobis, natales voces musices investigaturis, jam contingit. Musicam derivari a MUSIS, illis artium, ut veteres sunt fabulati, inventricibus, omnium ferme Lexicographorum, quin & Criticorum exigit consensus; quemadmodum

A 2

consensus rerum & universi Aristocratis continet, vid. STANLEJI Histor. Philosoph. p. m. 731. (*c*) Vid. Epigram. allusionii Eidyll. 20.

dum id post alios multos SUIDAS, PEROTTUS, Job. Pierius VALERIANUS, & quot non alii, pro evicto habent. Nostra vero sententia vocabulum Musices commode magis deduci potest ab Hebraea voce טוֹר vel רְבִנָה, quæ disciplinam quamlibet & doctrinam, in primis autem Ethicam, quæ de moribus agit, denotat<sup>(a)</sup>. Quod Græcorum quoque & Latinorum Auctorum usus confirmat, qui musarum vocabulo quamlibet earum artium ac disciplinarum, ex quibus celebratissima illa veteribus ἐνκυλο-  
ωδεῖα absolvebatur, designarunt<sup>(b)</sup>. Quibus accedit, quod nomini haud incepit respondeat omen, cœu paulo post pluribus erimus ostensuri.

## §. III.

Definivimus antea Musicam, ut ab aliis disciplinis haud difficulter distingvi possit; attamen ut indoles atque natura ejusdem plenius cognoscatur, requiritur, ut illius nunc tradamus descriptionem.

Ar-

(a) Confr. Dan. HEINSIUM in Exercitationibus suis ad Nonnum, quas Aristarcum Sacrum inscripsit. (b) Hinc Aristopharus Scholiares ad versum quendam in Equitum Comedia: ὅπλη Μεσικὴν τὸν ἵππον παιδεῖαν Φέστ, i. e. Quod Musican dicit orbem disciplinarum. Sic FANNIUS, Poëta vetus, carmine, quod de ponderibus nobis reliquit, Musam Mechanicam dixit, & alibi, quum de Arithmetica intelligeret, cecinit:

Ut docuit tenui scribens in pulvere Musa,  
Adde, si placet, Aug. BUCHNERUM in Oration. Academ. Vol.  
II. Orat. II. de imaginibus, p. m. 101.

Arduum maxime est, quod sic molimur opus, & facilius forte foret, singulas figuræ, quas æstuans adsumit Euripus, delineare, quam diversos admundum habitus & varias sensationes, quas toni animæ nostræ insinuant, rite proponere; præsertim cum eadem, qua oriuntur, levitate dispareant, & intra tempusculum unius M' plura millia oscillationum sonoriferarum, quæ tamen omnes pro ea, qua aures nostræ laborant hebetudine, plene discerni nequeunt, membranam tympani auricularis seorsim commoveant. Has vero singulas mutationes cum rite exponere exigua, qualis nostra est, industria non valeat, theatrum tamen admirabilium sonorum per transennam quasi lustrabimus. Faveas igitur, Lector, animo & ore. Expedit namque hoc sibi silentium gratissima musica. Heus itaque, O! Bone, quatuor modo voces audiuntur, & una tamen loquitur; quatuor modo loquuntur, & una solum auditur: quatuor canunt, & tamen concinnunt. Dic, quæso fodes, quale hoc artis mysterium; si quatuor voces canunt, unde idem concinnunt. Si porro idem est concentus, unde idem gravis & levis, depresso & subtilis, acutus & obtusus? Unde idem attollitur atque deprimitur, modo assurgit, modo rursus descendit, emergit ab imo atque declinat a summo? Hæc scilicet, quæ adeo paradoxa censemur, præstat Musica, contrariarum vocum concordia, dissidentium tonorum amicitia, gravium & levium suavis societas, plurius unitas, omnium harmonia. Quatuor sunt so-

A 3

ni,

ni, dum a corpore sonoro quasi ejaculantur, quatuor dum aërem commovent, quatuor adhuc dum atria subeunt auricularia; mox autem sese amplectuntur, in unum coēunt, atque in unam coalescent vocem. Ingeniosa admodum hæc est pugna; in qua si hostes species divisos, nihil infensius, si conjunctos, nihil amicius. Infensi autem hostes in initio pugnæ vires suas pugnando ita attemperant, ut nullus occumbat, nedum intereat; miscentur, nec confunduntur, unus atque plures, amici & contrarii. Immo idecirco unus ex pluribus nascitur quia plures pugnavent; idecirco consentiunt, quia modo dissenserant, pax ex pugna, ex lite concordia, ex pluribus unitas, atque ex omnibus mirabilis exsurgit Musica. Miraris factum, finem forte quæris? Hic autem non aliis est, ut paucis multa complectar, quam ut res communicandæ syrmate gratiori quasi circumducantur & vestiantur, ut in auditorum auribus cordibusque expressior & emphatica magis earum oriatur acceptatio. Quod quidem eo usque valere fida docet experientia, ut, qui teretibus pollet auribus Musicesque peritus est, sententiam suam adcurate satis ferre possit de eo, quid soni mirifice subacti circa rem designatam & variis modis distinctam evolvere atque explicare poterint. Quid? Quod non solum cogitata quædam atque desideria aliis per tonos aperire valeant, qui fidibus scienter canere didicerunt, sed sicut affectuum nostrorum quidam vehementes sunt, alii vero languidi, hos tam diversos habitus apte adeo

adeo mentitur Musica, ut eosdem quoque affectus in auditoribus non raro excitet.

## §. IV.

Cum veteres perpenderent, quod Musicæ, pro diversa hujus ratione, diversa quoque vis esset; varias ejusdem species constituerunt, quarum quælibet hominis animum diverso afficere modo censebatur. Sie modus DORIUS ex illorum opinione multum contulit ad gravitatem, modestiam & pudicitiam servandam<sup>(a)</sup>. PHRYGIUS homines ad pugnam excitabat, atque ita illos commovebat, ut imminentia obliviscerentur pericula. ÆOLIUS vero turbines animi dissipare atque gratam impertire tranquillitatem credebatur; a quo parum, ut videtur, discrepabat LYDIUS, qui curas minuebat & svavi oblectatione mentem adficiebat<sup>(b)</sup>.

## §. V.

Cum egregia multa in Ethica proponuntur, tum late admodum ea patere censenda sunt, quæ de

(a) Quocirca memoræ produnt scriptores, quod AGAMEMNON, ad bellum Trojanum profecturus, Musicum quendam Dorium domi reliquerit, scilicet ut gravi sua severaque Musica uxorem Clytemnestram in pudicitia conservaret. Neque illa ab Ægypto, priusquam sublatus erat Musicus, vitiati potuit. Sequentibus seculis minus consultum visum fuit, salaci mulieri talem castimoniaz custodem relinquere; facile enim Musicus Ægyptum induere posset.  
(b) Vid. CASSIODOR. Variar. Libr. II. Epistol. 49.

de affectibus præcipiuntur. Sunt autem affectus commotiones voluntatis, vel appetitus & aversationes, ex repræsentatione boni aut mali ortæ, atq; cum motu sanguinis & fluoris nervosi extraordinario conjunctæ. In his autem varios distinguimus gradus, quos *pensionem*, *consensum* & *impetum* quidam non male constituunt. Sicut autem diversi in aliis aliisque hominibus dominantur affectus; ita moralitatem eorum exposituri Erudit, in diversas plane sententias abeunt. Neminem, nisi idem in Historia Literaria admodum hospes fuerit, fugit, quod Stoici affectus omnes penitus extirpandos censuerint, hominem *ανθρώπον* ad DEI imaginem proxime accessum, pertinaciter urgentes. Sicut vero his libenter damus, quod affectus diversis plane modis sese exserant, quamobrem etiam quosdam benignos alios vero malos nuncuparunt Philosophi; ita quoque concedendum, quod cum affectus vel appetitum boni vel mali fugam in nobis excitent, in se considerati, pravi omnino non sint. Esto, quod post corruptam mortalium conditionem affectus ingentem subierint mutationem, atque rigidi adeo evaserint, ut *præceptis rationis* non semper pareant, sed eadem contumaciter nonnunquam rejiciant; tanta tamen eorum non est pervicacia, ut, si principiis modo resistamus, ad officium reduci nequeant, quin potius nostris egregie inserviant commodis, nec non ad virtutes partim nos deducant, partim quoque eximum hisce non raro addant fulgorem (a).

Car-

(a) Bene igitur LACTANTIUS *Divinar. Institor. Libr.*

Cardo igitur Ethicæ in eo etiam vertitur, ut quosdam horum opportune excitemus, eisdemque magis, quam ampullis verborum, erectam atque ingenuam animæ nostræ indolem alii simpliciter monstramus; quosdam autem, impotentia humanæ indices, ita subigamus, ut, quæ nos maxime decet, constantiam semper conservemus. Uni alterive virtuti, quæ modo dicta sunt, applicemus, ut sic constet, quantum pretium affectibus nostris in moralibus sit statuendum. Qui pietatem profitentur, ad solium Majestatis Divinæ eadem ratione singuli non accedunt. Alii enim, quamvis sedulas ad DEUM fundant preces, atque illum secundum rigidæ disciplinæ regulas externe colant, nullas tamen in visceribus suis sentiunt commotiones, nec precibus levantur aut corroborantur. Alii autem sive veniam commissorum peccatorum precaturi, sive pro acceptis beneficiis gratias acturi, in Divinos quasi amplexus venerabundi sese conjiciunt, quæque nec animus eorum capere, nec lingua sati eloqui potest, desideria, tumida cordis penetralia abunde indicant, ex lumine Majestatis Divinæ scintillulas attrahentia & colligentia, quibus mens eorum ita collustratur, ut nutum benignissimi Nu-

B mi-

*VI. Cap. V.* Affectus sunt velut ubertas naturalis animorum, ad quam cum verus cultor accesserit, statim, cedentibus vietiis, fruges virtutis oriuntur. DEUS itaq; cum hominem primum fingeret, mirabiliter providentia ingeneravit ei prius istas commotiones, ut capere posset virtutem. Hactenus Christianus ille Cicero. Quocirca affectus ab antiquis Philosophis dicti sunt ardores animorum cotesque virtutum,

minis, priusquam placide acquiescat, coram veluticonspiciat. Quod hæc DEUM colendi ratio sit illa longe præstantior, dubitaturum speramus neminem, & tamen differentia pæne omnis a sobrio affectuum usu est derivanda. Si porro beneficium in quempiam conferamus, atque simul & os & oculi & integra facies eximia micent facilitate, nec non homagium, quod virtuti pressæ debemus, clare indicent, gestibus his & tenui stipendio magis, quam lauatori ab alio machinaliter concesso, se adjutum censebit fortuna offensus. Ex quibus igitur liquido patet, quod qui decantatissimam illam <sup>anagras</sup> in scenam iterum produceret, id ageret, ut ipsi naturæ vim inferret, stimulosque omnes præclararum actionum penitus sufflaminaret atque tolleret.

## S. VI.

Cum igitur affectuum nostrorum in se consideratorum atque rationis imperio, ceu par est, subjectorum, tam eximia sit præstantia, disciplina quælibet, quæ alios excitandi alios autem regendi modum ostendit, instar beneficæ magistræ est habenda. Hunc sibi finem in primis propositum habet Ethica, ut indicavimus, atque ita homines ad virtutis & notitiam & sensum perducit. Compertum autem fuit, quod almæ huic disciplinæ adjutrices quasi manus subinde præbuerit Musica; quippe quæ modo torporem excutit, vigoremque animo reddit, modo rursus æstuantes nimium commotiones comprimit, nec latius

tius eas evagari sinit, quam ipsa permittat ratio. Ponamus enim animum curis dejectum, torpidum & tantum non langvidum esse, superveniatque Musicus, qui fidibus scienter canat, jamque argutos elicat sonos, parum equidem illis initio commovebimus, sed brevis mora est, cum ejaculati toni aures vellicare incipiunt, nec nobis amplius temperare possumus, quin ad sonos, qui blande & multis modis nos adficiunt, magis magisque attendamus; quo facto, Musica partem quandam curarum, quibus distinemur, ad se velut trahit; unde liberius spirare incipimus, membra corporis mensuram tonorum (taeten) apte imitantur, quo motu sanguinis circulatio promovetur, unde porro tristes explicantur rugæ, ægritudo dissipatur, atque ingenua succedit a lacritas (a). Ponamus rursus, adfectus esse exæstuantes, adeo ut, quibus obsequii gloria relicta est, frena mordere incipient, atque in hoc turbine Musica loquatur, svavissimus profecto ejus sonus ita animum sensim adficiet, ut causas vehementias deinde obli-

B 2

vi-

(a) Quare CICERO Libr. II. de Legibus: Adsentior Platonis, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos. Quorum vix dici potest, quanta sit vis in utramque partem. Namque & incitat languentes & languefacit excitatos & tum remittit animos, tum contrahit &c. Cui accedit Hieronym. PHALETUS Sanonensis:

Musica turbatas animas, aegrumque dolorem  
Sola levat, merito Divumque hominumque voluptas,  
Qua sine nil jucundum animis, nec amabile quidquam.

viseamur & cogitationes, prioribus oppositas, sed in quibus delicias nostras ponimus, jam concipiamus. Atque hoc modo fluctus subsidunt & jucunda rursus agimus halcyonia. Paucis: Musica animos hominum mire demulcet, atque tonos aut congregando aut dissipando aut compescendo aut erogando efficit, ut ineffabili ferme modo occupemur, super grata conspiremus, adversus nociva & vitiosa roboremur, nec non ad id, quod honestum, quod liberale, quod utile & jucundum sit, valde excitemur. Sicut autem non quivis fidicen est Orpheus; ita nec quilibet concentus eximios hos effectus producere valet; quo tamen ipso de præstantia exquisitæ Musicæ nihil plane decedit.

## §. VII.

Docet porro experientia, quod Musica varias mitiget molestias, quæ laboribus præsertim durioribus adhærent. Quoties enim talia tractantur negotia, quæ strepibus atque crepantibus peraguntur instrumentis, toties mirum in moduni facilitati solent molestiæ, si ille ipse strepitus atque crepitus ad certum exigatur numerum. Sic fabri, dura cudentes ferra, minorem sentiunt laborem, si ita incudem feriant, ut mallei majores atque minorres concentum quendam harmonicum efficiant. Par modo qui vel remigiis agendis vel tribulis vibrandis incumbunt, multo leviorem experiuntur molestiam, si idem observent artificium. Nihil vero plus confert ad minuendas omnis generis molestias, quam can-

cantus, quare eum omni laborum generi adhibere solent homines (a).

## §. VIII.

Quantum Supremo rerum omnium Moderatori animalium gratissimum probaturi per idoneos adjuvemur affectus, antea monuimus, quare cum Musica ad hos excitandos haud parum conferat, manifesto sequitur, quod hæc in exercitio pietatis magno nobis sit adminiculo (\*). Meliora tamen sapimus, quam ut positivum pietatis affectum & aptitudinem DEUM rite colendi a Musica deriveamus; probe gnari facultatem istam a sublimiori causa esse deducendam. Promovet tamen Musica devotas cogitationes, quatenus earum impedimenta removet. Hæc vero duo sunt torpor nimius & fervor nimius, quorum illum incitando extimulat, hunc refutando torpefacit, donec animus in aptum devinit statum, quo & lux veritatis facilius in fundum ejus illabi queat & fax veritatis felicius accendi. Plura de usu Musicæ in sacris afferre nouimus, ne falcam in alienam mittamus messem.

## §. IX.

Hoc autem loco non est prætereundum, quod Musicæ tantum pretium veteres statuerint Philosophi, ut non solum inter artes liberales ipsam re-

B. 3

tule.

(a) Quare OVIDIUS Trist. Libr. IV. El. 1,

Hoc est, cur cantet vinclus quoque compede fassor,  
Indocili numero cum gneve mollis opus.

(\*) Vid. B. CHRYSOSTOMUM in Psalm. XL.

tulerint, sed & instar disciplinæ præparatoriæ, qua ferocitas naturalis mitigari posset, illam habuerint. Quare PYTHAGORAS, cum elegantiam macrocosmi numeris quibusdam harmonicis constare experientia se comperiisse crederet, inde collegit, motus & actiones microcosmi ad Musices tenorem esse dirigendas. Discipulos igitur, rudes admodum ad convenientes instituturus, a Musica docendi initium fecit, cantusque & Rhythmos, quibus mores & affectus emendarentur, atque harmoniæ facultatum animæ ad ordinem primigenium, ut loqui svevit, revocarentur, excogitavit. Immo ipsos, meditacionibus diurnis fessos, cum lectum peterent, Musica recreavit, eosdemque mane surgentes cum attentes in præceptis suis percipiendis tum alacriores ad pensa sua rite absolvenda svavi excitabat Musica<sup>(a)</sup>. Denique cum Veterum facta sit mentio, non omnino reticendum, quod tibiarum usum plerumque rejecerint; propterea quod ad mores formandos minus pertineret, sed animum potius ad iram accenderet. Quocirca etiam fabulati sunt, Minervam tibias rejecisse, tum quod os deformatum, tum quod earum usus ad intelligentiam & mentem nihil conferret<sup>(b)</sup>. Recte ne an secus judi-

(a) Vid. JAMBlichum in vita PYTHAGORÆ Cap. X. tit. a STANLEJO p. m. 737; nec non QUINTILIAN. in Instit. Orat. IX. 4. p. 556. (b) Vid. PFEIFFERI Antiquit. Græc. p. m. 438, & LAMBECIUM in Prodomo Hifler. Litter. p. m. 209.

judicaverint veteres, aliis, qui artis hujus me periiores sunt, discutiendum relinquo.

## §. X.

Ne quis autem sibi persuadeat, speciosas magis quam solidas esse rationes, quas pro vindicando Musices usu Morali hactenus attulimus, juvat ex Historia paucis ostendere, quantum Musica ad morum qualitatem conducat. Inter antiquissima autem exempla, quæ proponunt annales, illud est habendum, quod de SAULO legimus. Cum enim Princeps hic præcepta Divina sæpius violasset, hæc multatus est poena, ut malus ipsum vexaverit genius, atque vehementi ægritudine pæne fuerit confectus. Malo huic medelam quandam allaturi amici ejus, nullam Musica convenientiorem invenerunt. Nec spes ipsos fecellit; siquidem David svavi modulamine curarum & dolorum molem, qua premebatur Saulus, ita levavit, ut tam ad se, quam ad meliorem frugem plerumque rediret<sup>(a)</sup>. Par modo ACHILLES, fortissimus ille, sed simul ferventissimus Græciae Princeps, animi iracundiam, qua sæpe excanduit, temperatus, sola se harmonia compescuisse legitur<sup>(b)</sup>. Similiter de CLINIA Pythagoræ, moribus vitaque ab aliis diverso, referunt Scriptores<sup>(c)</sup>, quod si contingenteret,

eum

(a) Vid. 1 Sam. XVI: 23. Monet igitur CELSUS Libr. III. Cap. 18. Symphonias ad insaniam levandam & discutendas tristes cogitationes plurimum prodeesse. (b) Vid. TEXTORIS Theatrum Phis. p. m. 408. (c) Vid. ÆLIANI Var. Hifler. Libr. XIV. Cap. 23.

eum ira commoveri, fidibus cecinerit, antequam totus eo affectu corriperetur. Cumque quare id faceret? interrogabatur, respondit, se ita mitescere. Quomodo Tauromitanus quidam juvenis Phrygio modulamine vehementer exarserit, & quomodo alius concentus nimium ardorem ejus restinxerit, notissima est fabula (d). Testantur insuper monumenta, quod certo Musices genere quidam ita exasperati fuerint, ut Circæis velut poculis turbidi omnem ferme exuerint rationem. Sic ALEXANDRUM, quem eventuum suorum grandia Magnum reliquerunt nobis, nec non Daniæ Regem ERICUM, cui animi facilitas & imperii felicitas Boni (EYEGOD) cognomen pepererunt, testudinum suarum concitato sono ita effesarunt Musici, ut furibundi quosdam familiaritate secum conjunctos immaniter obtruncasse dicantur (e). Spondere certe non ausim, nihil hyperbolici in his latere narratiunculis; verum tamen est, quod dum peritissimi Musici modo mollienter psallunt, modo rursus argute & celeriter citharam pulsant, contrariis his atque iterum iterumque variatis modis affectus oppositi perquam librentur; qua mutatione homines attenti ita fatigantur, ut eo sese tandem abripi patientur, quo Musica vel dulcedine sua vel vehementia eos abducit (f).

## §. XI.

(d) Vid. STANLEJI *Libr. cit. p. 739.* (e) Vid. SAXON. GRAMMAT. *Libr. XII. p. m. 226.* (f) Confr. omnino *Observations Curieuses sur toutes les parties de la Physique Tom. III. p. m. 270.*

## §. XI.

Cum ad felicitatem civitatis nihil æque conferat, quam si cives bene fuerint morati; omnes ferme Legislatores in eo industriam suam collocarunt, ut morum culturam inter cives promoverent, optima censentes adminicula, quæ huic fini obtinendo inservirent. Cumque Musica in re tanti momenti haud exiguum præstet usum, ceu affatim vidimus, disciplinam quoque istam civitate donarunt; ut populi sic haberent, quo mitescerent & ad humanitatem invitarentur (a). Quid? Quod PLATO arctum adeo inter constitutionem reipublicæ & formam Musicæ intercedere vinculum statuerit, ut hæc mutari non posset, quin hinc augurari licet, illam quoq; suas subiisse vices (b). In quo nec alii veterum ab ipso dissenserunt (c). Quamobrem AMPHION, si Poëtis fidem habeamus, sfavissimo concentu, cuius peritissimus fuit, Thebanos ad societatis invitavit de-

C licias

(a) Vid. de MONTESQUIEU *l'Esprit des Loix Tom. I. p. m. 68.* Fuerunt tamen antiquissimis temporibus nonnulli, qui Musicam, ceu disciplinam perniciosa, quippe quæ hominum emolliret animos, rejecerunt; sicut de *Egyptis* perhibet DIODOR. SICUL. *Bibl. Hist. Lib. I. Cap. LXXXI.* PHILIPPUS quoque, Macedonum Rex, ALEXANDRUM, in convivio scienter canentem, graviter his verbis reprehendit: *Nonne Te puebar, tam bene canere?* Vid. PLUTARCH. *in vita Periclit.* De antiquis autem Gothis constat, quod Musicam, præcipue vero cantilenas, quæ Heroum laudes continebant, impense amaverint, citharædos vero, aliasque Musicos ceteris hominibus longe viliores censuerint, vid. *Weßg. L. Drâpm. B. C. 7.* (b) *Lib. IV. de legibus.* (c) Vid. PFEIFFERI *Libr. cit. p. m. 436.*

sicias & a feritate ad placidos deduxit mores (*d*). Plurimum vero ad rhombum in præsenti facit negotio, quod Musica, ut docet acutissimus POLYBLUS, necessaria fuerit in asperitate morum Arcadum, qui regionem, sive cælum sive solum spectamus, valde duram habitarunt, mitiganda: in robur sententiaz suæ adjiciens, quod cives Urbis Cynetæ, qui Musicam penitus neglexerant, ceteros Grajos immanitate superaverint, & quod nulla ferme civitas reperiatur, quæ tot tamque horrendis seauerit vitiis, quam hæc ipsa (*e*).

## §. XII.

Quamvis vero Musicæ tanta sit vis, ut hujus lenociniis non solum homines, verum etiam bruta quædam animantia (*a*) admodum capiantur; docet ramen experientia, quod in singulas nationes paarem influxum non habeant modulamina, sed quosdam populos vehementer adficiant, aliis svaveloquia hæc parum curantibus & tantum non fastidentibus. Ponamus Italum scenæ interesse; videbimus, quomodo partim Musices dulcedine, partim personarum gestibus adeo commoveatur, ut adfectus ita excitati, & vel gaudium vel tristitiam indicantes, modum fere excedant. Si autem hi Musici, Comœdi atque Mimæ artium suarum elegantiam maxima, quasieri possit, industria in septentrionalibus oris ostentent; quidam nostrum, qui, exquisitum scilicet g

stum

(*d*) Cfr. HORAT. in arte Poët. p. 394. *leg.* (*e*) Vid. MONTESQUIEU lib. & Tom. cit. p. 68, 69. (*a*) Vid. JOBI XXXIX: 28. Cui adde Observations Curieuses Sc. Tom. III, p. m. 275, 276.

sum probatū, molliiem gentium meridionalium imitantur, iubibus his se adeo commotos simulabunt, ut se ipsos vix comprehendant: alii sonorum svavitate & gestuum aptitudine commovebuntur quidem, sed ita tamen, ut justam dignitatem atq; constantiam semper retineant; ceteri denique his artibus vix magis adficiuntur, quam veteres Galli, qui cum illic, Roma occupata, statua Bubulci affabre admodum elaborata non sine ingenti admiratione monstrabatur, & ipsorum poscebatur sententia, frigide responderunt: *Nihil hanc curamus, ne quidem si bubulus vivus nobis donaretur.* Causa vero tam diversorum effetaum, trispudii scilicet unius & tranquillitatis alterius procul dubio ex diversa corporum constitutione, & hæc rursus ex varia cæli solique natalis indole est petenda. Sicut enim Italus laxa gaudet corporis compage, ita levissimis quoque motibus adficitur, dum nos contra firmis ac robustis corporibus prædicti, levioribus mutationibus, quas blanda producit Musica, minus commovemur, nec ad quamlibet cantilenam profunde ingemiscimus (*b*). Veram autem hanc esse causam phænomenorum modo memoratorum vel eorum probant exempla, qui dum integra fruuntur valetudine, Musica placide commoventur, morbis vero debiles facti hac arte adficiuntur, ut membra tremores chordarum sonoriferarum imitari ferme videantur.

## §. XIII.

Ante vero quam dissertationi huic finem imponimus, sententiam nostram de ardua illa quæstione: an Veterum Musica animis movendis aptior fuerit, quam recentior? paucis exponemus. Sicut plerique antiquis indulgenter nimis favent, ita etiam hos solos nobilis atque gravis Musicæ magistros scrisse, iterum iterumque crepare solent. Ubi nunc, inquit, Asclepiades, qui seditiones cantu inhibuit? Ubi Da-

mon

(*b*) Vid. de MONTESQUIEU Lib. cit. Tom. II. p. m. 68.

mon, qui petulantiam juventutis modorum gravitate perdonat? Ubi Thales Creensis, qui organica levitatem morbos & pestilentiam fugavit? At noster, pergit, & cantus & conatus insidias quasdam auribus facit, quas demulceret, nee animum valde capit. Vera ne, an fidia quædam sint, quæ de antiquis Musicis magnifice nonnulli prædicant, jam non disquirimus. Enimvero cum Veterum musica temporum injuria pridem perierint, nec artis illius specimen quoddam amplius supersit, veterum merita in hanc disciplinam cum recentiorum conferri nequeunt, nec proinde discerni potest, quibus palma solertiæ sit tribuenda. Laudatur veterum Musica, & forte non immerito, ob simplicitatem & masculam indolem; verum cum theoria Musices multo magis jam sit exulta, quam olim, nullam subesse rationem video, quin Musicæ suæ parem addere gravitatem recentiores queant. Immo quod addiderint, satis superque probant egregia CARELLI, GEMINIANI, CALDARÆ, MARCELLONIS, BONONCINI, HANDELLI, aliorumque opera. Nec tamen dissimulandum, quod multi nunc Musici non id agant, ut animos auditorum capiant, flestantque, quam potius, ut Musica eorum subtilitate sua, quam oppido pauci adsequuntur, teretibus tantum probetur auribus. Optandum denique foret, ne in nostra quadrat tempora, quod Musicis objicit gravissimus quidam Auctor: Il n'est plus question de l'expression, de la grace, de l'énergie & de la dignité de la Musique. On ne va plus en admirer la composition, mais seulement les gentillesses de celui qui l'execute. Pourvù qu'il ait un goffier extraordinaire, ou un légèreté & une vitesse singulières dans la main, il est assuré des suffrages de notre ignorante approbation (a) Sed

*Claudite jam rivos, pueri, sat prata biberunt (b).*

(a) Vid, *Les Mœurs Angloises* par Mr. BROWN p. m. 36.

(b) VIRGIL. Ecl. III, v. III.